

Quod Fratres Minores Conventuales, tamquam Mendicantes, prohiberi non possint ab Ordinariis locorum, seu aliis Regularibus, quominus per seipsos in locis ubi habent Conventus, eleemosynas querant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva. §. 1. **C**um, sicut dilectus filius Blasius a Chersio Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, Fratres praedicti, qui nedom ex regula, quam profitentur, sed etiam ex Constitutionum dicti Ordinis Urbanarum nuncupatarum, auctoritate confirmatarum observantia vere mendicantes sunt, & athenus privilegii Fratrum Mendicantium gavisi fuerunt, & gaudent, impediri non debeant quominus eleemosynas querant, praesertim in partibus ultramontanis, ubi ab haereticis majori parte rerum, quas in communi possident, exuti sunt, & absque piorum eleemosynis fame perirent, aut suas Domos regulares deserere cogentur: Nobis propterea dictus Blasius Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretatio, prout in sub. §. 2. Nos igitur eundem Blasium Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, inherentes declarationibus aliis super editis, praefatos Fratres Minores Conventuales Sancti Francisci, tamquam mendicantes, nequaquam posse ab Ordinariis locorum, seu aliis Regularibus prohiberi, quominus per se ipsos in locis ubi habent Conventus, eleemosynas querant, sed tantum, si extra loca, ubi Conventus existunt, quaeritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus.

Decretum irritans. §. 3. Mandantes propterea in virtute Sanctae Obedientiae, ac sub aliis arbitrii nostri poenis, omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, ut eosdem Fratres Conventuales praemissorum omnium commodo, & effectui frui, & gaudere sinant, & faciant, non permitrentes eos desuper a quibusvis quavis auctoritate fungentibus,

etiam aliis Regularibus Mendicantibus, quovis praetextu quomodolibet indebitum molestari; ac decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, distisque Fratribus Conventualibus in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §. 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo personae alicujus in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Febr. 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXLV.

Erectio Custodiae Reformatae Transylvanicae Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae.

Illorum Fratrum Refractorum materiam habes in Constitut. Sacrosanctum, & in Constitut. Injuncti Nobis, ubi agitur de Reformatione Provinciae.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. S Alvaloris Nostri Jesu Christi, licet immeriti, vices gerentes in terris, illam curam libenter amplectimur, per quam Religiosorum Ordines multiplicatis cultoribus, quorum assiduis precibus, & fructuosis operibus Omnipotens Deus propitiatur,

tiatur, & fides catholica propagatur, nostris etiam temporibus suscipiant incrementum, quod ut optatum fortissimum effectum, officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Motiva. §. 1. Sane pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Reformatorem nuncupatorum Ordinis Sancti Francisci Nobis nuper expositum fuit, quod pro cultura catholicorum in Transylvania, ac haereticorum, & schismaticorum in illis partibus degentium conversione maxime expedit ex domibus Regularibus Fratrum Minorum Strictioris Observantiae Ordinis hujusmodi, in eisdem partibus existentibus unam Custodiam Transylvanicae nuncupandam erigi, & a Provincia S. Salvatoris Ungariae ejusdem Ordinis separari.

Erectio Custodiae. §. 2. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illumque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tres quae a Fratribus Minoris Strictioris Observantiae hujusmodi ad praesens, ut asseritur, abitantur in Transylvania, necnon aliam de Cich, eorundem Fratrum Provinciae Sancti Salvatoris Ungariae praedictae domos regulares ab eadem Provincia S. Salvatoris, illiusque Ministri Provincialis jurisdictione, & superioritate, ita quod illi amplius minime subsint, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo separamus; ipsaque quatuor Domos Regulares hujusmodi in custodiam Transylvanicae nuncupandam eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuo erigimus, illamque jurisdictioni, superioritati, visitationi, & correctioni Ministri, & Commissarii Generalium pro tempore existentium ejusdem Ordinis, qui custodiam per nos sic erectam pro tempore regant, illique de Religiosis, & aliis necessarii provideant, immediate subicimus, necnon in Custodem Custodiae hujusmodi, pro hac prima vice dilectum filium Stephanum Salines ejusdem Ordinis professorem deputamus, & constituimus.

Quod hoc erit sicut gaudet at privilegii. §. 3. Demum eidem Custodiae sic erectae, illiusque Domibus Regularibus, Custodi, & Fratribus, ut omnibus, & singulis privilegiis, gratis, praeminentiis, concessionibus, & indultis, quibus aliae ejusdem Ordinis custodiae, illarumque Domus Custodes, & Fratres utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum similiter, & aequa-

principaliter, ac eidem custodie per praesentes erectae, illiusque domibus Custodi, & Fratribus concessa fuissent, uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, indulgemus.

Decretum irritans. §. 4. Decernentes praesentes literas, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, debere; sicque, per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciae S. Salvatoris praedictorum, etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, ac singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 13. Febr. 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXLVI.

Opus Redemptionis Captivorum Calceatis Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum privative addicitur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Incer Calceatos, ac Discalceatos in Concordia super opere redemptionis. §. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Perez de Munchrenga Procurator Generalis Ordinis B. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, quod alias inter Fratres Calceatos dicti Ordinis ex una, & Fratres ejusdem Ordinis Congregationis Discalceatorum nuncupat. ex altera partibus, occasione separationis, ac totalis dismembrationis Fratrum Discalceatorum a Fratribus Calceatis hujusmodi, inita fuit quaedam concordia, inter cujus capitula extat unum tenoris sequentis videlicet: Item, quod Ministrum Redemptionis solum spectet Religiosis Calceatis, & quod Patres Recollecti non se intromittant in recipiendis legatis a Christianis fidelibus relictis ad dictum effectum, nec possint petere in suis Monasteriis, nec extra pro redimendis Captivis, nec habere cippos, nec cappas, nec aliquid aliud pro eleemosyna petenda hac de causa, quia totum hoc debet demandari curae, & sollicitudini Patrum Calceato-

Que confirm. fuit a Gregorio PP. XV.

Idem declaratum a Congr. Episc. & Reg.

Vetium potestatem expressit Discalce. ne in Redemptione se immiscerent

Orta subinde questio de legibus.

ceatorum dumtaxat, sicut usque nunc fuit in consuetudine; Quae quidem concordia a fel. rec. Gregorio Papa XV. Praedecessore nostro, ac etiam a Nobis cum clausula citra dispensationem a quarto voto: confirmata fuit.

§.2. Postmodum vero dictis Fratribus Discalceatis praeferentibus, vigore praedictae clausulae citra dispensationem a quarto voto ministerium Redemptionis Captivorum Fratribus Calceatis hujusmodi in dicta concordia, illiusque confirmationibus dumtaxat reservatum a se quoque exerceri posse, etiam vigore suarum particularium Constitutionum alias a Nobis confirmatarum, Venerabiles Fratres nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negotiis Regularium praepositi decreverunt vigore dictae clausulae citra dispensationem super quarto voto hujusmodi, & aliarum in dicta Concordia, & illius confirmationibus apostolicis contentarum non fuisse, nec esse jus aliquod de novo quaesitum Fratribus Discalceatis, seu Calceatis praedictis ad Ministerium Redemptionis Captivorum exercendum sub directione, & superioritate eorum: Vicarii Generalis, sed omnia circa ministerium dictae Redemptionis Captivorum remansisse, & remanere in eisdem statu, & terminis, in quibus reperiebantur ante dictam Concordiam, ita ut praedicti Fratres Discalceati, quoad dictum opus Redemptionis Captivorum, aut alia ad id ministerium quomodolibet spectantia remaneant, & remanere debeant, sub directione, cura, & obedientia, ac superioritate ejusdem dilecti filii Magistri Generalis Calceatorum, ac in eisdem statu, & terminis, in quibus erant, seu existebant ante concordiam, & confirmationes praedictas. Nosque Decretum Cardinalium hujusmodi confirmavimus;

§.3. Et subinde nonnullis ex Fratribus Discalceatis hujusmodi, Decreto praedicto nostrisque literis confirmatoriis parere, detrectantibus, Nos omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis, seu Recollectis Ordinis praedicti nunc, & pro tempore existentibus quacumque auctoritate, & officio fungentibus sub privationis vocis activae, & passivae, ac quorumcumque dicti Ordinis officiorum per eos obtentorum, poenis ipso facto absque alia declaratione per contravenientes incurrendis praecipimus, & dicto Magistro Generali in omnibus ab eo commissis, & praedictis Redemptionis Captivorum opus, seu Ministerium quomodolibet concernentibus irrefragabiliter obedirent, & alias, prout in Gregorii Praedecessoris praedicti, ac nostris super praemissis in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur.

§.4. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat, Fratres Discalceati praedicti praeferant, legata particularia relicta, ac dispositiones quascumque etiam donationes inter vivos factas, & pro tempo-

re faciendas per quoscumque pro Redemptione Captivorum, Ecclesiis, seu Domibus, aut personis ipsorum Discalceatorum cum electione industriae eorum sub concordia, & literis praedictis minime comprehendendi. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportuna declarationis ministerio providere, de benignitate apostolica dignaremur.

§.5. Nos igitur negotio mature, ac ambabus partibus pluries in facto, & jure informantibus, & auditis per Congregationem Praelatorum a Nobis ad id deputatorum eorumdem Praelatorum resolutione in favorem Fratrum Calceatorum, eorumque Procuratoris Generalis facta Nobis relata, ejusdem Procuratoris Generalis, & Fratrum Calceatorum praedictorum votis hujusmodi annuere volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; Concordiam praedictam, ac dicti Gregorii Praedecessoris, & nostras desuper expeditas literas praedictas comprehendisse, & comprehendere etiam legata particularia, ac dispositiones, & donationes, etiam inter vivos particulariter, aliasque quomodolibet facta, & factas, ac pro tempore perpetuis futuris temporibus pro Captivorum Redemptione per quoscumque faciendas etiam in favorem quorumcumque praedictorum Discalceatorum, ac eorum Vicarii Generalis, ac Conventuum, & Domorum ipsorum Discalceatorum, & in quibus eorum industria sit, vel erit electa, & praesertim legatum, sive dispositionem, & donationem quondam Elvirae Manrique factam Conventui Sanctae Barbarae Matriti Toletan. Dioec. non facta, expressione, ita ut in Ministerio Redemptionis Captivorum attributo, seu concessio per concordiam, vel literas apostolicas praedictas Magistro Generali dictorum Fratrum Calceatorum comprehendatur, & comprehensa sint, & comprehendantur, apostolica auctoritate, tenore praesentium declaramus.

§.6. Eisdemque Fratribus Discalceatis, eorum Conventibus, & Vicario Generali perpetuum silentium imponimus.

§.7. Sicque ab omnibus cense, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Volu-

Urbanus declarat, Legata, quaecumque, Donationes &c. ad Calceatos dumtaxat pertinere

Perpetuum silentium Discalceatis imponit.

Clausula.

Decretum, ne Gener. Calc. quidem fibi, aut suo Ordini adicatur.

Obstantium derogatio.

Dat. die 15. Februarii 1640. An.XVII.

Ex Reg. in Secret. Breve.

Causae Decretum.

Prohibicio de qua in Rubrica.

§.8. Volumus tamen, quod idem Magister Generalis Calceatorum debeat integre, relicta, donationes, & dispositiones praedictas in praedictum opus Redemptionis expendere absque eo, quod aliquam illorum partem pro se, Conventibus, aut sua Religione Calceatorum hujusmodi, nec alias umquam retinere possit.

§.9. Non obstantibus quorumvis testatorum, & testatricum etiam ultimis voluntatibus, ac donantium dispositionibus, quas in, & quoad praemissa, quatenus foret opus sufficienter, & expresse commutatum, necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Constitutionibus Discalceatorum auctoritate apostolica confirmatis, & praecipue earum Capitulis XX. XXI. & XXII. primae distinctionis, ac omnibus illis, quae in praedictis literis Apostolicis dicti Gregorii Praedecessoris voluit, & Nos volumus non obstante, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 15. Februarii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXLVII.

Prohibitio, ne de cetero in Monasteriis Monialium Ordinis Praedicatorum Provinciae Andalusiae, & eorum Ecclesiis, comediae recitentur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Cum Monialium Monasteria ideomuris undique claudantur, ut ipse a communi hominum consortio plane separate, Deo, cui suam integritatem sponte devoverunt, liberius servire, & lascivendi occasione sublata, eidem corda, & corpora sua in omni sanctimonia diligentius custodire valeant; oportet proinde a Monasteriis hujusmodi, & earum Ecclesiis, quae sunt domus orationis, actus quoscumque prophanos, & personarum secularium concursus omnino arceri, ne inde puros Monialium mores facile corrumpi, & divinam Majestatem graviter offendi contingat.

§.2. Hinc est, quod Nos supplicationibus nomine dilecti filii Petri Manrique de Sfenophosa Prioris Provincialis Provinciae Andalusiae Ordinis Praedicatorum Nobis hac super re humiliter porrectis inclinatis, ne de cetero perpetuis futuris temporibus in quibusvis Monialium dicti Ordinis, & praesertim Matris Dei Hispalen. Monasteriis in praedicta Provincia existentibus, & eorum Ecclesiis quascumque generis comediae a comedis, & aliis personis secularibus agantur, & recitentur sub excommunicationis tam per agentes, & recitantes, quam per Monasteriorum hujusmodi Priorissas, seu Abbatissas, & eorum Superiores, qui comedias praedictas in dictis

Monasteriis, & Ecclesiis agi, & recitari permiserint, necnon etiam per seculares personas quascumque dignitatis, gradus, & conditionis, quae comedias hujusmodi in eisdem Monasteriis, & Ecclesiis agi, & recitari fecerint, comados; ad illas agendas eo mittere praesumpserint eo ipso incurrenda poena, apostolica auctoritate, tenore praesentium districte prohibemus.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictorumque Monasteriorum, & Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 17. Februarii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXLVIII.

Facultas Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani imponendi quoddam vestigial super rebus comestibilibus pro muniendis Insula Meliteni, & Gozzi.

Dilecto filio Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Aliis pro parte tua Nobis exposito, quod habita per reiteratos Nuncios Molitionum notitia, quas impius Turcarum tyrannus contra Insulam Melevitanam machinabatur, ut praedictam, & adjacentem Gozzi Insulas adversus eorumdem Turcarum irruptiones, & invasiones de cetero tutas, & securas redderes, illas novis operibus munire caperas, munitionesque hujusmodi ordinariis communis ararii istius Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani viribus ad finem perducere debitum nequibant, nisi sibi de aliquo subventionis auxilio per Nos opportune provideretur;

§.2. Nos considerantes, sicut eadem expositio subungebat, Insulam Melevitanam praedictam maximum esse nedum Italiae, sed totius Reipublicae Christianae adversus eosdem Turcas propugnaculum, & propterea illi quacumque opportuniore ratione succurri debere, tuis hac in parte supplicationibus inclinatis, tibi concessimus facultatem

Derogatio contrariorum

Dat. die 17. Februarii 1640. An.XVII.

Ex Reg. in Secret. Breve.

M. Magister muniendas esse Melevitanam & Gozzi Insulas exposuerat.

Pont. autem facultatem concesserat quoddam vestigial imponendi istidem in Insulis.

facultatem imponendi collectam, seu contributionem super omnibus, & singulis, ac quibuscumque bonis stabilibus laicorum, necnon etiam dicti Hospitalis Magni Magistri, & personarum quarumcumque infra limites dictarum Insularum existentibus annuum redditum quomodolibet ferentibus usque ad summam quinquaginta millium scutorum infra tempus tibi beneficium persolvendam per modernos, & pro tempore existentes eorundem bonorum, & reddituum possessores, pro perficiendis, & finiendis novarum munitionum huiusmodi operibus, & non in alios usus convertendam.

Decimamque a Clero persolvendam prescripserat.

§.3. Ac insuper attendentes Cleri dictarum Insularum aequae, ac laicorum interesse munitiones praedictas perfici, imposuimus tot decimas semel, & infra tempus tunc existentis in dictis Insulis adversus haereticam pravitatem Inquisitori generali beneficium persolvendas, quae in totum ad summam quinque millium scutorum monetae ascenderent fructuum, reddituum, & proventuum bonorum Cleri tam secularis, quam quorumcumque utriusque sexus Ordinum etiam Mendicantium redditus annuos habentium, etiam Societatis Jesu regularis, in Insulis praedictis, & aliis prout in binis nostris in simili forma Brevis desuper sub die 9. Februarii 1636. expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro expressis, & totaliter insertis haberi volumus, uberius continetur.

Quae cum executioni de mandata non fuerint:

§.4. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecisti, praemissa effectus suos habentis sortita non fuerint, tuque propterea alia commodiori ratione inopiam communis aerarii dicti Hospitalis, pro perficiendis munitionibus praefatis per Nos sublevari desideres.

Urbanus irritat.

§.5. Nos, ut munitiones huiusmodi quamprimum absolvi possint, quantumcum Domino possumus, providere, teque specialibus favoribus, & gratis profectui volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existeris, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati facultatem imponendi collectam, seu contributionem scut. 50. mill. monetae super bonis laicorum, ac dicti Hospitalis Magni Magistri, & personarum quarumcumque infra limites dictarum Insularum existentibus tibi, ut praefertur, a Nobis concessam, ac desuper emanatas literas nostras praedictas, apostolica auctoritate, tenore praesentium cassamus, & abolemus, revocamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino evacuamus, illaque nullius roboris, & momenti esse, ac pro nullis, revocatis, cassatis, irritis, & inanibus, perinde ac si numquam emanaf-

sent haberi, & censeri debere decernimus, & declaramus.

§.6. Loco autem, & vice facultatis imponendi contributionem, seu collectam praedictam, per Nos, ut praefertur, revocata, & annullata, tibi licentiam imponendi super tritico, & granis, leguminibus, fructibus, vino, carne, piscibus, oleo, olivis, & aliis quibuscumque rebus comestibilibus, vendendis, & emendis in praedictis Insulis unam gabellam arbitrio tuo pro summa tamen 50. mill. scutorum monetae Romanae in totum dumtaxat in praedictos perfectionis dictarum munitionum, & alios usus integre convertenda, illamque a quibuscumque personis laicis; & ut fraudes, & difficultates, quae in ejus exactio- ne intervenire possint, evitentur, etiam ab ecclesiasticis secularibus, ac dicti Hospitalis, & cuiusvis alterius Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam Mendicantium utriusque sexus regularibus, hospitaliumque, & aliorum locorum piorum personis, etiam quocumque immunitatis, exemptionis, vel alio quovis privilegio suffultis, etiam si de illis specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum expressa mentio facienda esset, exigendi, seu exigendi auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & imper- timur.

Et M. Magistro facultatis dat novum, vestigal imponendi super rebus comestibilibus.

Quod habeatur loco Decimae, quoad Ecclesiasticos.

§.7. Ceterum volumus, ut in fine cuiuslibet mensis rata dictae gabellae praedictae ecclesiasticos tangens per viam compensationis cum decima praedicta, quae ab ecclesiasticis esset solvenda, nisi fieret compensatio huiusmodi, restituatur, qua quidem compensatione mediante ipsos ecclesiasticos a solutione ejusdem decimae pro rata, quae compensabitur liberatum iri decernimus.

Libri speciales rationum pro huiusmodi vestigal con- fici mandati.

§.8. Ut autem omnes, & singula pecuniae ex dicta gabella exigenda in praefatos, & non alios usus convertantur, tibi praecipimus, & mandamus, ut particula- res libros, in quibus pecuniae ex gabella huiusmodi percipiendae absque fraude adnotentur, confici cures, & jubeas.

Clausula apponit.

§.9. Decernentes omnes, & quascumque personas praedictas ad gabelle per te vigore praesentium imponendae solutionem, omnino teneri, easque ad id opportunis juris, ac facti remediis summarie omni appellatione, reclamazione, & recursum remotis cogi, & compelli posse, praesentes vero literas de obreptionis, seu subreptionis, aut nullitatis vitio, vel nostrae, & Sedis praedictae intentionis, seu quocumque alio defectu, notari, redargui, impugnari in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas, quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari minime posse; Sicque ab omnibus censeri, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac quocumque dicti Hospitalis Tribunalia, necnon S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, disteque Sedis Nun-

Nuncios, & quovis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, ac definiti debere, ac irritum, & inane, quidquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§.10. Non obstantibus praedictis nostris literis, ac quibusvis apostolicis, & in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & synodalibus, editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Institutuum, & locorum piorum, ac insularum praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, & Literis Apostolicis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, locisque piis, ac Insulis praedictis, & personis quibuscumque sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenore, specialis, specifica, expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes illis aliis in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Februarii 1640. An. XVII.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris Die 18. Feb. 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXLIX.

Ex Regest. in Secret. Brevis.

Facultas Episcopo Civitatis Castellae contra Republicam Lucanam ecclesiastico interdicto subiiciendi.

Venerabili Fratri Caesari Episcopo Civitatis Castellae.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Venerabilis frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert Literas editas 24. Septemb. 1639.

§.1. Nuper emanarunt a Nobis literae in simili forma brevis tibi directae tenoris subsequenti videlicet, a tergo Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

Venerabili Fratri Caesari Episcopo Civitatis Castellae, intus vero Urbanus Papa VIII. Venerabilis frater salutem, & apostolicam benedictionem. Cum sicut non sine gravi Reliqua, ut in aliis expeditis sub die 24. Septembris 1639. supra pag. 213.

Novoque Lucanorum ex- cellis.

§.2. Cum autem, sicut Nobis postmodum innotuit, tu in executione praesentiarum nostrarum literarum Civitatem Lucanam petens, non solum ea qua par erat, civitate, & honorificentia non fueris exceptus, sed etiam in finibus ipsius domini armato milite fueris praepeditus, ulterius pervadere, ac iter tuum prosequi, in maximam tui, immo nostri, & Apostolicae Sedis irreverentiam, ac illam quidem, & omnes alios excessus in praesentibus literis narratos, tam dicti officiales, quam Respublica ipsa hactenus agnoscere, & emendare neglexerint, quinimo abiecto Dei timore in sua pervicacia persistant.

Et Episcopo Civitatis Castellae facultatem dat illos excommunicatos, Civitatem vero, Oppida &c. ecclesiastico interdicto subiceat.

§.3. Nos qui nullo pacto ferre debemus, ut nostra, & dictae Sedis auctoritas adeo pernicioso ceteris christifidelibus exemplo contemnatur, animadvertentes, Antianos, Vexilliferum, Consiliarios, & Republicam huiusmodi paternam nostram clementiam, & patientiam, in suarum damnationem animarum abuti, nequaquam differenda amplius esse graviora ecclesiasticae disciplinae remedia, quibus in viam iustitiae, a qua turpiter aberrant, quamprimum reduci salubriter possint, arbitramur. Idcirco motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus citra recessum a praemissis nostris Literis, nisi quatenus aliter per praesentes disponimus, illaque in reliquis confirmantes, & approbantes, & te quo majori cum auctoritate injunctum tibi munus juxta mentem, & intentionem nostram exequi valeas, amplioribus facultatibus suffultum esse volentes, tibi ut postquam Antianos, Vexilliferum, Consiliarios, Judices, Ministros, & Officiales Reipublicae, & Civitatis Lucanae praedictarum culpabiles in praemissis repertos in excommunicationis majoris, aliasque poenas in dictis nostris Literis expressas, & a Sacris Canonibus, legibus, aliisque Constitutionibus inflictas incidisse, & incurrisse declaraveris, illico absque ul- lius termini praefixione, nullaque mora, vel dilatione interposita dictam Civitatem Lucanam, ac quacumque Oppida, Terras, Castra, & Loca, universumque temporale dominium Reipublicae huiusmodi ecclesiastico interdicto, non expectata alia ulteriori contumacia supponere, & subicere, ac supposita, & subiecta esse, & fore nunciare, declarare, & decernere, libere, & licite possis, & valeas, plenam, amplam, & liberam facultatem, & auctoritatem, tenore praesentium concedimus, & impertimur.

Derogaturque contrariis.

§.4. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, literis nostris praedictis, ac omnibus illis, quae in eisdem literis volumus non obstare, ceterisque H h con-

contrariis quibuscumque, licet talia essent, quæ individua, atque specificam mentionem indigerent.
Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Febr. 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCL.
Declaratio mentis circa reductionem onerum quorundam beneficiorum.

Malta alia securitatem conscientiarum beneficia obtinentium concernentia annuati possunt ex repertorio materiarum, in verbo Beneficium.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Alias non ex certis rationabilibus causis adducti, ex diversis legatis piis, seu bonis, diversis Domibus regularibus Fratrum, tam non reformatorem, quam etiam forsan reformatorem Ordinis Sancti Francisci Minorum de observantia nuncupatorum, similibus legatorum incapacium, in diversis Civitatibus, & locis Regni Neapolitani, ac in Civitate, seu Dioc. Florentin. ac alibi etiam forsan in Statu nostro Ecclesiastico existentibus, per Christifideles per viam testamentorum, seu Codicillorum, aut Donationum tam inter vivos, quam causa mortis, aut alias etiam sub celebrationis missarum, & seu anniversariorum, aliorumve divinarum officiorum, & suffragiorum, & forsan aliis oneribus, ac etiam sine oneribus respective relictis, diversa perpetua simplicia beneficia ecclesiastica in diversis Ecclesiis, & diversis temporibus tam nostro motu proprio, quam ad diversorum supplicationem apostolica auctoritate perpetuo creximus, & institimus, illisque sic erectis, & institutis pro eorum dote, & illa pro tempore obtinentium sustentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, tam in actu ipsarum erectionum, & applicationum plurima, quam etiam deinde in pluribus vicibus diversa alia legata, seu bona similia, cum similibus oneribus, ac etiam forsan sine illis, eisdem, seu aliis, domibus regularibus eorundem Fratrum etiam, ut præfertur, relicta, etiam forsan cum eorum fructibus eatenus respective decursis, etiam forsan pro supplemento, seu augmento dotis huiusmodi, etiam perpetuo applicavimus, & appropriavimus, oneraque eisdem legatis, seu bonis, ut præfertur incumbentia ad certum missarum numerum per unumquemque ex obtinentibus unumquodque ex beneficiis huiusmodi, vel per alium ejus nomine respective celebrant. etiam perpetuo reduximus, ac obtinentes beneficia huiusmodi ad aliquod aliud quam dictarum missarum onus non teneri voluimus, ipsaque beneficia a pri-

mæva illorum erectione, & institutione huiusmodi viderentur. diversis clericis, seu presbyteris contulimus, & de illis etiam providimus, prout in diversis nostris desuper confectis literis plenius respective continetur.

§.1. Cum autem, sicut accepimus, nonnulla ex dictis legatis, seu bonis sicut præfertur applicatis, & appropriatis cum onere dotationis alicujus puellæ, seu aliquarum puellarum, inter cætera eisdem fratribus relicta fuerint, ab aliquibus vero revocetur in dubium, an sub reductionibus onerum sic in confuso expressorum per Nos, ut præfertur, factis, dotationes puellæ, seu puellarum huiusmodi comprehensæ extiterint, Nos ne ulterius circa præmissa a quoquam hæsitari contingat providere, ac securitati conscientiarum dicta beneficia obtinentium consulere volentes, ac omnium, & singularum literarum super erectionibus, & institutionibus, ac applicationibus, & appropriationibus, necnon reductionibus, & provisionibus huiusmodi respective confectarum totos, & integros tenores, perinde ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso infererentur, & exprimerentur, ac datas, necnon nomina, & cognomina illorum, qui dicta beneficia ad præsens obtinent, seu alias obtinuerunt, etiam si familiares, ac continui Commensales, ac Prælati domestici nostri, aut alias speciali nota, & expressione digni sunt, ac etiam legatorum, seu bonorum prædictorum veros annuos valores eorumque, ac dictorum onerum qualitates, & quantitates præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes motu simili, & ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, mentis, & intentionis nostre fuisse, & esse decernimus, & declaramus sub reductionibus onerum, sicut supra in confuso, & in genere absque aliqua specificatione dotationis, seu dotationum puellæ, seu puellarum expressorum, & narratorum per Nos factis huiusmodi noluisse comprehendere illa onera dotationum, quæ fuerunt relicta pro aliqua puella, vel aliquibus puellis nominatim, vel de aliqua particulari familia, aut descendencia, seu agnatione in specie, quæ nullo modo reducta intelligantur, sed juxta voluntatem legantium tam quoad tempus decursum, quam decurrendum semper, & perpetuo adimpleri debeant, sed tantum eas dotationes, quæ fuerunt relicta pro aliqua puella, seu aliquibus puellis etiam ex certo loco oriundis, aut alias quomodolibet qualificatis in genere, & in confuso absque ulla speciali expressione personarum, seu particularis familie, aut descendencie, vel agnationis.

§.2. Sicque, & non alias, literas nostras prædictas etiam ab illarum dat. intelligi, & per modernos, ac pro tempore obtinentes beneficia huiusmodi, & eorum quemlibet tam quoad tempus præteritum, quam futurum semper, & perpetuo observari

Declarat Pontifex suam mentem circa reductionem onerum quorundam beneficiorum.

Clausulas præservativas apponit.

vari debere, præsentemque literas de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio aut intentionis nostre, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nunquam posse sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Card. etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos, ac Sedis Apostolicæ Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & desiniri debere, irritumque, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Per præsentem autem non intendimus aliquid innovare, seu immutare circa eas dotationes dictarum puellarum, quæ a Nobis in eisdem literis, seu earum aliquibus in specie præservate extiterunt.

§.3. Non obstantibus literis nostris præfatis, & earum singulis, quatenus in aliquo obstant, aut obstat dici possent, ac earundem legantium voluntatibus, necnon regula nostra de jure quæsito non tollendo quatenus opus sit, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis, earumque singulis voluimus non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis etiam impressis, & manu nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis Datarii subscriptis, eisque sigillo munitis eadem prorsus tam in iudicio, quam extra illud ubique in Romana Curia, & extra eam fides adhibeatur, quæ adhibetur eisdem præsentibus literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Martii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCLII.

Prohibitio erigendi nova loca sub titulo de Propaganda Fide ubique Terrarum absque facultate Sedis Apostolicæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Prohibitio, prout in rubr.

NE nova loca sub titulo de Propaganda Fide impostum ubivis gentium temere, & inconsulta Sede Apostolica erigantur, aut instituantur, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotio Propagandæ Fidei huiusmodi præpositorum consilio, Superioribus cujuscumque Ordinis, Religionis, Congregationis, Societatis, aut instituti sub pœnis privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis ad ea, apostolica auctoritate, te-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

nore præsentium prohibemus, ne Monasteria, Conventus, Domos, Seminaria, Collegia, Hospitia, seu Oratoria sub titulo de Propaganda Fide construant, aut erigant, vel a suis subditis construi, aut erigi permittant, sine speciali eorundem Cardinalium licentia.

§.1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac cujuscumque Ordinis, Religionis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§.2. Quibus omnibus, etiam si pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Secretarii Congregationis dictorum Cardinalium de Propaganda Fide, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Præfati Congregationis huiusmodi, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 13. Martii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo, Indivisione octava, die vero vigesimaquarta mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi D. N. Domini Divina Providentia Urbani Papæ VIII. Anno ejus XVII, supra dictum Breve assixum, & publicatum fuit ad valvas Curie, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Bavarium prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Contrariis derogat.

Transumptis credi jubet.

Dat. die 13. Martii 1640. An. XVII.

H h 2

Confir.